

Def. V.

Vis centripeta est qua corpora^{ora} versus punctum aliquod tanquam ad centrum^{indique un} trahuntur, impelluntur, vel utcunq; tendunt.

Hujus generis est gravitas, qua corpora^{ora} tendunt ad centrum Terræ: Vis magnetica, qua ferrum petit centrum Magnetis^{em}, et vis illa, quæcunq; sit, qua Planetæ perpetuo retrahuntur a motibus rectilineis, et in lineis curvis revolvi coguntur.† Est autem vis^{hujus} centripetæ quantitas trium generum, absoluta, acceleratrix et motrix.

Def. VI.

Vis centripetæ quantitas absoluta est mensura ejusdem major vel minor pro efficacia causæ eam propagantis a centro per regiones in circuitu.

Uti virtus^{pro mole magnetis et intensione virtutis} Magnetica major in uno magnete, minor in alio.

Def. VII.

Vis centripetæ quantitas acceleratrix est ipsius mensura Velocitati proportionalis, quam dato tempore generat.

Uti Virtus Magnetis ejusdem major in minori Distantia, minor in majori: vel vis gravitans major in Vallibus, minor in cacuminibus præaltorum montium (~~ut experimento pendulorum constat~~) atq; adhuc minor (ut posthac patebit) in majoribus distantis a Terra^{globe}; in æqualibus autem distantis eadem undiq; propterea quod corpora omnia cadentia (gravia an levia, magna an parva) sublata Aeris